



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quando exceptio doli detur ad rescindendum contractum dolo initum:

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

seffores etiam bonæ fidei satis expressum non esse, neque colligi posse ex relato Canone Redintegranda, ubi plus non dicitur, quàm quòd Episcopi, ex quacunque causâ injustè spoliati sint ante omnia restituendi, quod juxta regulam universalem verissimum est, non tamen pro-

bat contra eos, qui bonâ fide rempudent, cum in his nullum substat periculum animæ, & frustra Concilium Lateranense posterius *Can. Redintegranda* remedio ex c. *sape*, laborasset, si tamque remedium contra quemvis pollorem constitutum jam fuisset,

T I T U L U S XIV.

DE DOLO ET CONTUMACIA.

SECTIO I.

De Dolo.

§. I.

Quando exceptio doli detur ad rescindendum contractum dolo initum?

Non est hic sermo de quocunque dolo, bono etiam, qui aliud non est, quàm solertia aliqua adversus publicos præsertim boni publici hostes, ad fraudes eorum & injurias excludendas, sed sermo hic tantum est de dolo malo, qui est calliditas aliqua, fallacia, aut machinatio ad circumveniendum, fallendum, vel decipiendum alterum adhibita; & si quidem naturaliter contingat, vocatur ignorantia, si verò ex malitia alterius contingat, dolus vocatur; potest autem dolus versari, vel circa substantiam rei, vel tantum circa accidentalia, ille dolus substantialis vocatur, & facit contractum taliter dolo in initum ipso jure nullum, cum taliter dolo decepti non sit consensus. Hic verò qui circa accidentalia committitur,

accidentalis dicitur. Uterque dolorum subdividi potest, ita ut aliam causam contractui, nunquam in contractum talem consensus parte contingente, nisi dolo tali deciperetur, verò sit incidens tantum, quo dolo nihilominus pars contractura fuerit.

De dolo ergo dante causam contractum rigidè satis sentiunt jura Civilia, quæ scilicet contractus iste servari debet. *Instit. de excep.* non tantum in eo quo non ipse contrahens dolum commisit, sed hic ab alio, vel à propria alii contrahentis voluntate provenit, sed quo etiam ipse contrahens dolum commisit non tantum circa accidentales qualitates, sed sæpe etiam circa substantiam commiserit: ex Canonica tamen, uti & Prætoris æquitate, competit taliter decepti exceptio doli contra dolo sum petentem ad rescindendum contractum, si rescindere hic possit, *L. si dolo §. Cod. de rescin. con.* Si ve stricti juris si ve bonæ fidei contractus fuerit (ne scilicet decipere contrahat commodum ex sua malitia) vel dolo contra quemcunque deceptum ad id, quod interest, taliter deceptum

tum hunc non fuisse. Quod si tamen dolo non dedit causam contractui, sed incidat tantum in contractum, quamvis ad interesse competat actio, contractus tamen talis nec invalidus redditur, nec ad petitionem decepti per appositam doli exceptionem rescindi debet, cum taliter deceptus verè & absolute in contractum talem confenserit. Vide alia, quæ tam hoc §. quàm duobus sequentibus ex jure Civili ab Auctore Method. referantur.

SECTIO II.

De contumacia.

§. I.

Quid & quotuplex sit contumacia,
& quibus modis quis constituitur
contumax?

CONTUMACIA est inobedientia à legitime vocato contra judicem in illis, quæ ad judicium pertinent, commissã. Et quamvis pluribus modis committatur contumacia, duplex tamen comuniter dicitur esse contumacia, vera, & ficta, seu interpretativa, aut præsumptiva. Vera contumacia committitur, cum quis coactive legitime citatus, ad cujus notitiam facta citatio etiam pervenerit, tamen non comparet, quamvis nullum legitimum impedimentum obsit. Præsumpta seu ficta est, cum quis per edictum legitime citatus, de quo tamen dubium sit, utrum ad illius notitiam pervenerit citatio, non comparet; præsummitur verò hic talis à jure contumax, nisi postea moram purget, & justam causam alleget, ac probet, cur non comparuerit: neque tamen ex sola non comparitione constituitur quis contumax: sed ex eo etiam, si mali-

tiolè se absentet, aut abscondat, ne ad eum perveniat citatio, si compareat quidem, in se tamen negotio sine Judicis licentia discedat, non rediturus ad judicium; si actor venit quidem ad judicium in termino citationis, actionem tamen aut suæ actionis Libellum nullum edit, vel non prosequitur litem, si Reus nõ respondeat, ad omnes articulos ab Actore propositos, vel obscure tantum, & nihil categoricè respondeat, si non probent allegata & deducta, vel nõ pareant mandatis Judicium in illis quæ ad causam pertinent, si executionis sententiæ repugnent &c. quibus in casibus ad instantiam partis contra contumaciam procedi potest à Iudice.

§. II.

Quomodo procedendum sit contra
Actorem contumacem?

SI Actor post oblatum Libellum contumaciter absit, & legitime citatus non compareat, ad contestandam, & prosequendam litem, potest Iudex de jure Canonico (quidquid sit de jure Civili, juxta quod plures dilationes, & annus integer Actori ad comparandum indulgetur, ante litem contestatam) auditis, & receptis testibus Rei præsentis & hoc petentis, si causa illius rite probata fuerit, ad sententiam definitivam procedere, vel si de causa rei non liqueat, absolvere hunc ab hac instantia, uti summitur ex c. *Causam 3. h. e.* ne scilicet ex contumacia sua post litem captam commodum aliquod habeat contumax Actor, qui cum ad litem provocaverit, merito contra se pati debet Rei probationes & Judicis sententiam, cum tamen hoc de Reo qui invitus ad litem trahitur, quamvis contumaciter